



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficult. II. An fides moveri possit revelatione falsa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

idque ob dignitatem excellentioris motivi; sed hoc non convincit: quia licet Deo repugnet magis fallere quam scientiæ falli, potest esse par, scientiæ ac fidei, repugnantia falsitatis: quia etiam magis repugnat Deo fallere quam fidei falli, quod ipsum probatur: quia fides potest falli, quamvis DEUS non fallat: quia potest concipi fides, quod assentiatur revelationi verè non existenti, quin DEUS re ipsa fallat: quia DEUS nihil testans seu revelans, fallere non potest.

RESPONDETUR. Negando posse concipi fidem assentiri revelationi non existenti, & tamen ex objecto, (de quo hic quæritur) moveri veritate primâ. Equè autem DEUS & fides ratione objecti & motivi falli non potest: quia utrobique eadem reperitur veritas prima.

DIFFICULTAS II.

An fides moveri possit revelatione falsâ?

Sensus tituli est. An DEUS possit falsum revelare? seu aliter, quam se res habeat: de quo consule Valentiam hic disp. 1. quæst. 1. punct. 3. Koninck disp. 10. dub. 1. Lugo disp. 4. sect. 2. Pontium disp. 21. quæst. 4. Amicum disp. 2. sect. 8. & alios.

Punctum Difficultatis 1.

Potestne DEUS de absoluta potentia mentiri?

UT decidatur, an possit DEUS revelare falsum, quærendum erit universaliter, an possit mentiri?

DICENDUM est. Deum de absoluta potentia, non posse mentiri consequenter nec falsum revelare: atque adeo nec fidem moveri à revelatione falsa. Est conclusio non tantum contra Armenos, & Priscilianistas, qui censent DEUM interdum mentitum fuisse, sed etiam contra Holcor, Gabrielem & quosdam alios, qui Catholici cum sint, docent nihilominus, de potentia absoluta, DEUM mentiri posse, quamvis non de ordinaria. Idem sub aliis terminis: Nempe posse esse revelationem non veram, docuit Cardinalis Petrus de Aliaco, Adamus, Almainus, omnes apud Ripaldam de Ente supernaturali disp. 51.

PROBATUR Primò. Autoritate ad Hæbr. 6. cum dixisset Apostolus Deum sue pollicitationi addidisse juramentum, subdit: ut per duas inquit res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium haberemus; & tamen per oppositos possibile est mentiri DEUM: & sicut non dicimus, impossibile est DEUM de negare concursum ad peccandum, quamvis de potentia ordinaria, illum negare non possit, sic

nec dixisset Apostolus impossibile est DEUM mentiri, si de absoluta potentia mentiri posset. Et alio loco: *Fidelis inquit permanet, negare se ipsum non potest.* Ex quo sic urgetur. Impossibile est quemquam negare se esse, Ergò impossibile est, & DEUM mentiri: nam si mentiretur, per Apostolum, negaret se ipsum. Similia habet Dionys. c. 8. de Divinis Nominibus. Ambrosius c. 6. epist. 36. ad Chromat. *Nunquid inquit non mentitur Deus? Sed non mentitur, quia impossibile est mentiri Deum.* Similia habet Aug. lib. 2. de civit. c. 5. & lib. 2. de Symb. ad Catech. c. 1.

PROBATUR Secundò. Rationibus Auctorum. Tum quia ut ait Amicus, DEUS peccare non potest. Ergo nec mentiri: peccaret enim si mentiretur. Tum quia ut ait Valentia, Contradictionem implicat ut is mentiri possit, qui habet summam & infinitam auctoritatem ad persuadendum aliis, id esse verum, quod ipse dicit: talis enim auctoritas debet excludere omnem formidinem in credendo, non excluderet autem, si mentiri DEUS posset. Tum quia ut ait Lugo mendacium est intrinsecè malum, & ex iis quæ ideo sunt prohibita quia mala: quod supponit S. Thomas hic quæst. 110. art. 3. Ergo à Deo committi non potest.

PROBATUR Terriò. Si Deus posset mentiri etiam de potentia absoluta; & esset Deus ut supponitur, & non esset: quia non esset infinitæ perfectionis: major enim est perfectio, non posse etiam de absoluta potentia mentiri: sicut major est sanctitas, non posse etiam de potentia absoluta peccare. Jam autem si Deus non esset infinitæ perfectionis non esset Deus: nomine enim Dei, venit ens infinitæ perfectionis. Idem sic ulterius proponitur. Implicat contradictionem veritatem esse mendacium. Ergò & veritatem primam mentiri. Ergo & Deum. Antecedens probatur, Quia & esset illa veritas ut supponitur, & non esset: quia mendacium esset; & sicut implicat hominem esse chymaram; ita implicat veritatem esse mendacium, cum utrumque definitionibus differat. Secunda illatio probatur. Tum quia par est ratio huius, ac prioris illationis. Tum quia mendacium illud factum à Deo, esset actus Dei; si esset actus Dei; esset ipsemet Deus, quod est absurdum; & sicut veritas ut sic, non potest esse mendacium; ita nec veritas prima, potest esse mendacium; quod ipsum in hoc fundatur: quia de cujus ratione communi, est non posse esse tale, ejus nec ratio particularis potest esse talis. Et sic si implicat, hominem esse bovem, implicabit etiam Petrum esse bovem: prædicata enim sua essentialia ratio communis, defert ad particulare. Hinc si veritas ut sic, non potest esse mendacium, nec veritas prima poterit esse. *Neque valet si dicas:* Ratio communis animalis non potest esse rationale, & tamen homo qui est parti-

culare animal potest esse rationale. Ergo etiam quamvis veritas ut sic non potest esse mendacium; non sequitur veritatem primam, non posse mentiri. Non inquam valet: quia alia est hæc propositio: De essentia est rationis communis animalis, non posse esse rationale, & alia hæc est: Non est de essentia rationis communis animalis, esse rationale. Hæc posterior est vera; prior autem falsa. Quod si prior est falsa; poterit restringi animal per rationale; si autem esset vera, nunquam posset restringi: quia verò est de essentia veritatis, non posse esse mendacium; hæcque propositio est vera: sit ut nulla particularis veritas, possit esse mendacium. Tum quia ex eo quia sanctitas ut sic non potest esse vitium; bene inferitur amorem Dei non posse esse vitium. Ergo & in præsentī idem dici poterit.

Et hæc probant, Deum etiam de absoluta potentia mentiri non posse. An autem possit falsum dicere per alium, missis aliorum rationibus per hoc resolvī debet: quia si etiam per alium falsum diceret, faceret actionem dissonam naturæ intellectuali, quod argumentum infra pertractabitur.

OBJICIUNTUR Primò. Authoritates Scripturæ Genes. 4. Timenti suam necem Caino respondet Deus: nequaquam, fiet; & tamen postea occisus est à Lamech. Multi etiam Sancti Spiritu Dei afflati, mentiti sunt.

RESPONDETUR. Non dixisse Deum, non occidendum Cainum, sed non occidendum impunè. Alii etiam negant eundem fuisse Cainum, qui est occisus à Lamech. Quando verò Genes. 22. cæteroqui Spiritu Dei afflatus Abraham, dixit: Ego & puer, postquam immolaverimus revertemur ad vos: non est mentitus Abraham; quia putabat filium suum reducendum ad vitam, viā aliquā DEO notā; qui etiam præcepit, ut sua uxor diceret se sororem Abraham; ita enim, ex usu Orientis, appellabantur uxores. Jacob quando se dixit primogenitum, dixit se primogenitum non generatione, sed dignitate, quam jam emerat. Subdit Koninck regulas explicandi Scripturam in hac materia. *Primam.* Deum multa prædicere, non nisi sub conditione & comminativè. *Secundam.* Sæpè cum dicitur DEUS aliquid prædicere, non nisi permittit, per hellenismum loquendo. *Tertiam.* Sæpè Scripturam adhibere tropos; ut cum Joannes dixit, Libros non posse capi à mundo, de Christi factis; hoc etiam notat quod Sancti viri, non sint semper locuti ex instinctu speciali Dei. Auctoritates Patrum explicari debent per hoc, quod nomine mendacii, intelligant amphibologiam, de qua infra.

OBJICITUR Secundò. Potest Deus dispensare in homicidio ut dispensavit cum Abrahamo in occisione filii; potest dispensare in furto ut dispensavit cum Israelitis, cum mandavit acci-

pere in aures apud Ægyptios. Potest in fornicatione dispensare: quia mandavit Oseæ uxorem fornicationum. Ergo etiam saltem de potentia absoluta poterit dispensare in mendacio. Ergo etiam & sibi illud permittere.

RESPONDETUR. Missis aliorum rationibus, disparitatem quoad illa priora duo, esse; quia si Deus mentiretur, non esset infinitus in perfectione ut dictum supra; cujus oppositum sequitur, si non haberet potestatem in vitam & fortunas hominum; Item si posset dispensare in mendacio, dispensaret in hoc faciendo, cum quod essentiali contradictionem habet, ex prædicato, veritatis, per essentialiam. Non habet autem Deus essentiali contradictionem, ne de vita hominum & fortunis liberè disponat. Cum Oseæ non dispensavit ut fornicaretur, hoc enim est intrinsecè malum; sed eam quæ fuit fornicata ut legitimè sibi copularet, mandavit: deditque illi Deus pro sua parte jus in illud corpus, de quo, debebat Oseas ex consequenti, conjugaliter contrahere. Unde non dedit illi Deus jus ad accedendum ad non suam, nec dedit jus, accedendi affectu merè libidinoso.

OBJICITUR Tertiò. Revelavit Deus duraturam beatitudinem Sanctorum, & tamen posset illos privare beatitudine. Ergo & posset non implere suam promissionem. Ergo & mentiri.

RESPONDETUR. Conformiter ad dicta in 1. par. Quod revelaverit Deus duraturam beatitudinem Sanctorum, non quomocunque sed dependentè à sua voluntate. Si dependentè à sua voluntate, reliquit titulum, ut sine mendacio, possit absolute oppositum facere.

INSTABIS. Potest Deus præcipere actum falsum, ut si aliquis putaret, ad defensionem proximi, esse necesse mentiri: tunc enim obligaretur ad mentiendum. Ergo & ipse Deus, mentiri posset.

RESPONDETUR. In illo casu, adesse obligationem ortam ex ignorantia. In Deo autem illa locum non habet. Addit Ripalda, sicut illic non est ex objecto honestas in mendacio, sed ex sola apprehensione errantis; ita nec est in te præceptum de mentiundo. Sed tantum est Major de amando proximo. Minorem autem sibi subsumit, ipsemet errans.

Universaliter autem ea cadunt sub dispensationem, mandatum, vel exercitium Dei; quando dispensatio, imperium, & exercitium, est consonum naturæ intellectuali; licet alicui in particulari sit indebitum, vel ejus potestatem excedens, potest à Deo dispensari, mandari, exerceri. Consonum autem est naturæ intellectuali, ut disponat de rebus & vita Supremus Princeps, sed non est consonum naturæ intellectuali, contra mentem ire: quia est opponere se, suo maximo bono, hoc est propriæ menti, & deicere se à gradu propriæ dignitatis & excellentiæ.

R. P.
THE MLOL
ZIANOWSKI
Tbm. A. C. Z
D. VI

lentia, cui competit pro regula agendi, non nisi veritas: per mendacium autem, assumitur id, quod non est regula agendi.

Punctum Difficultatis 2.

Potestne DEUS infundere qualitatem erroris?

POSSE infundi creaturæ habitum erroris docet Valquez, Arriaga, Hurtadus Lugo citat. Sect. 3. Ripalda hic disp. 4. num. 37. Pontius & alii. Negat uterque Suar. & Recent. quidem tract. 7. de anima disp. 3. num. 352. Koinck citat. dub. 2. Amicus citat. Sect. 5. & favet Oviedo Controv. 3. num. 12.

DICENDUM est. *Accipiendo errorem pro qualitate habituali; quæ est principium actuum errandi, ad illum non infundendum, non obligatur Deus ex veracitate.*

PROBATUR Primò. Quia præcisa productio principii noscendi aliquid, non est locutio; alias productio animæ, vel intellectus, si foret potentia distincta; productio item præcisa speciei impressæ, foret locutio: hæc enim omnia sunt principia locutionis. Sed illius erroris productio, esset præcisa productio principii noscendi erroneæ: in hac enim suppositione loquimur: Ergo productio illius, non est locutio. Ergo ne illam producat Deus, non obligatur titulo veracitatis: quia veracitas, extenditur non nisi ad locutiones. Respicit hoc argumentum definitionem Locutionis, quæ debet esse, manifestatio conceptus directi ad alium; quæ prædicata, non competunt principiiis noritium.

PROBATUR Secundò. Quia qualitas illa, esset error ut supponitur. Rursus error quæ talis, non est mendacium; cum in multis committatur sine mendacio. Quod si ille error non est mendacium, ad illum non ponendum, non obligabitur Deus ex veracitate; siquidem ex veracitate obligatur, ad non ponendum contrarium veracitati, quod est mendacium; error autem ille non est mendacium.

PROBATUR Tertiò. Illo errore nec mentiretur Deus: quia illo errore non erraret, & quantumvis foret ille error mendacium, tamen non mentiretur tunc Deus: nullum enim ipse in se actum errandi haberet. Non etiam illo errore mentiretur creatura: quia nemo sibi ipsi mentitur. Ergo ille error nullo modo esset mendacium. Ergo nullo modo oppositus veracitati. Ergo nec Deus ad illum non producendum, obligaretur ex veracitate.

DICENDUM Secundò. *Quamvis ad non ponendum illum errorem non obligetur Deus ex veracitate: nihilominus illum implicat poni à Deo.*

PROBATUR Primò. Quia & posset poni à Deo, & non posset; posset quidem ut supponi-

tur: non posset autem: quia quod participat rationem communem non ponibilium per se à Deo, illud non potest poni à Deo: haberet enim impossibilitatem positionis sui, ex ratione generica. Sed error habet rationem communem non producibilium per se à Deo; quod ipsum probatur: quia ratio dissoni naturæ intellectuali quæ tali, est ratio communis non ponibilium à Deo. Si enim quæratur, cur peccatum à Deo poni non possit? pro ratione reddi potest ejus objectiva malitia, nempe dissonantia ad naturam intellectualem quæ talem. Sed etiam error dicit dissonantiam ad naturam intellectualem quæ talem. Tum quia est defectio naturæ intellectualis, in sua intellectualitate se exercentis, ad non intelligentem quodammodo: errans enim non intelligit illud, quod intelligere se putat. Tum quia sicut morbi & defectus, sunt naturæ animalis quæ talis, dissonum; quid ita & error, est deformitas naturæ intellectualis quæ talis. Tum quia præcipuum & principale quod intendit natura intellectualis per naturam, est attingentia veri; cui quia opponitur error, fit, ut sicut opponitur præcipue intento à natura intellectuali; ita opponatur etiam ipsi naturæ intellectuali; præcipue, cum sicut malum, est dissonum voluntati; ita error intellectui.

RESPONDEBIS. Dissonantiam quam trahit secum peccatum, repugnare naturæ intellectuali quæ tali. Jam autem error, non est dissonantia trahens secum peccatum.

CONTRA. Tum quia nego solum dissonum peccaminosum, dicere dissonantiam ad naturam intellectualem; probarique id debuisset. Tum quia ut dicebam, si de ipso peccato quæratur, cur poni non possit? pro ratione redditur, ipsa dissonantia ejus ad naturam intellectualem quæ talem. Hinc fit ut illa dissonantia, etiam non restricta ad peccatum, dicat rationem non ponibilis à Deo. Tum quia etiam illud agere, Deo, foret peccaminosum, quia interveniret tunc actus voluntatis in DEO, producendi aliquid per se dissonum naturæ intellectuali; & quidem tunc, cum Deus ad illud producendum, non determinatur à causa secunda.

PROBATUR Secundò. Quia de Deo perfectissimum conceptum formare debemus, tribuendo illi omnes perfectiones possibiles. Ergo debemus dicere essentiale illi esse, ut non possit producere per se errorem. Quod si essentiale illi erit non posse producere errorem; implicabitur illum producat: quia essentis contravenire non potest. Jam autem quod formando perfectissimum conceptum de Deo, debeamus dicere essentiale illi esse, ut non possit producere errorem, hoc inde suadetur: melior est ista perfectio indeceptivitat, quæ est principium absolute ad non decipiendum, tam se quam alios: sicut major est impeccabilitas, quæ impedit ne Deus peccet, & ne alios faciat peccare. Jam autem

autem sicut perfectio est non posse decipi; sic etiam perfectio in genere indeceptivitas, est non posse decipere. Indubie item perfectio, quæ est non posse decipi, & decipere, maior est perfectione, quæ, quis, non possit decipi ipse. Nam illa prior, continebit & hoc, quod est non posse decipi; & insuper hoc, quod est non decipere alios: quæ perfectio Deo non competere, si posset per se producere qualitatem errandi, seu facientem errare.

RESPONDEBIS Primò. Quod Deus decipi non possit, proficiscitur hoc ex eo prædicato, quia est veritas prima in cognoscendo; nulla autem est perfectio, ex qua deberet pullulare in Deo, ne possit decipere vel producere errorem.

CONTRA. Indeceptivitas ipsa, est perfectio, quæ non est ratio, cur accenseri non possit in serie, infinitarum Dei perfectionum.

RESPONDEBIS Secundò. Major esset perfectio, si nec per accidens concurreret ad peccatum, & tamen non sequitur quod non debeat concurrere ad peccaminosum actum. Ergo nec sequitur quod non debeat producere per se errorem.

CONTRA est. Tum quia, est signum à posteriori, non esse hoc maiorem perfectionem in Deo: quia de facto novimus illum etiam ad actiones peccaminosas concurrere; non novimus autem per se illum producere errorem; ex altera parte non posse illum producere errorem, arguunt dicta. Tum quia si Deus non concurreret ad actus peccaminosos, deficeret in illo ratio causæ universalis, quæ est manifestissima perfectio: deficiente autem vi, deceptivâ creaturæ, vel faciente errare, non deficeret perfectio manifesta. Præcipue autem quia ad taxandum an aliquid spectet ad omnipotentiam Dei; prius debet ostendi, illud non implicare, cum possibilitas absoluta antecedar respectivam, seu in causa; non ostenditur autem deceptivitas, vel vim faciendi errorem, esse aliunde in Deo possibilem. Tum quia non desinit Deus esse causa universalis, quamvis per se non possit producere peccatum. Ergo nec desinet esse causa universalis, quamvis per se non possit producere errorem. Ad rationem enim causæ universalis sufficit vel per se, vel cum alio ponere ponibilia.

PROBATUR Tertiò à Congruo. Quia si id negetur Deo, magis exaltabitur Deus: quia magis ab imperfectione ostenditur alienus, & ex altera parte, nihil obstat.

DICENDUM Tertiò. *Actum erroris quo v.g. concipiatur cælum esse lapideum; & hoc esse in mente Dei, talem inquam actum erroris, implicat à DEO infundi.* Est Conclusio contra de Lugo. Præter autem fundamenta immediatè allata, Insuper

PROBATUR Primò Conclusio. Quia tali actu, & non mentiretur Deus ut supponitur, & men-

tiretur: quia diceret aliter quàm habet in mente: in mente enim non habet cælum esse lapideum; & tamen diceret tunc cælum esse lapideum, diceret inquam; quia tali conceptus efformatione, non implicat DEUM loqui; & de facto consimili efformatione loqui putari potest in ecstasi vel revelationibus. In quibus si illa locutio est vera, estque locutio, etiam in præsentem erit locutio, licet falsa.

PROBATUR Secundò. Infusione illius actus & non loqueretur Deus mentiretur enim: & loqueretur, quia ille conceptus haberet conditiones requisitas ad loquendum ab ipso Lugo disp. 1. Sect. 11. quia non tantum aperit audienti rem, sed etiam obiter manifestat conceptum internum quem habet Deus de illo objecto; intercedit etiam ordinatio mentis divinæ: quia intercedit in efformatione conceptus, quo Deus manifestat in ecstasi suam mentem, etiam in præsentem intercedet ordinatio.

RESPONDEBIS Primò. Eodem jure poterit dici, infusio Metaphysicæ, locutio divina, & Angelus concurrens per modum objecti cum altero Angelo ad visionem suæ substantiæ. Ergo si prædictis non competit locutio, nec in præsentem competit.

CONTRA disparitas est. Quia ad locutionem essentialiter requiritur, manifestatio conceptus ordinata ad alium: ex simplici autem infusione Metaphysicæ, vel concursu Angeli, non habetur manifestatio conceptus, nec ordinatio.

RESPONDEBIS Secundò. Illam efformationem ita se habere, sicut se haberet ille actus, quem Deus infunderet, quo cognoscitur Deum habere scientiam infinitam, & tamen hic actus, non foret Dei locutio.

CONTRA. Quia etiam ille infusus actus foret locutio, si fieret intentione non quomodocunque manifestandi conceptum, sed prout est in mente, & cum titulo ordinantis, quæ omnia in præsentem habentur.

RESPONDEBIS Tertiò. Quod efformatio conceptus, interdum sit locutio, interdum non.

CONTRA. Non est ratio cur in præsentem casu, dicta efformatio non sit locutio, & tamen supponitur illam fore mendacium.

PROBATUR Tertiò à Convenienti. Quia quamvis non possit implicancia ostendi in infusione talis actus, tamen nisi nos premat convictiva ratio, negandum id erit: ut adstruamus fidem nostram & revelationem esse certissimam. Quod ipsum probatur. A posteriori bene colligimus, Deum non posse esse mendacem: eo quod fides, nutaret, dubitando, An Deus potentia absolutâ non sit usus ad mentendum. Ergo etiam bene arguimus Deum non posse infundere actum, quod cælum sit lapideum; & id in mente esse Dei, ne quis addubitet, quod hic actus infusus, Deus est trinus, & est id in mente

R. P.
THE MLOL
ZIANOWSKI
Tom. I. c. 2
D. VI

mente Dei; ne inquam dubitet, quod sit similis priori.

Fundamenta pro qualitate erroris:

Objicit Primò Lugo. Quia eo casu Deus non mentiretur, nec loqueretur per illum actum: quod autem sit causa erroris, non repugnat: quia error non est malus moraliter, sed physicè: Sicut aliæ qualitates, quas Deus causat in homine. Imò errorem causat Deus verè & propriè, quando homo per causas naturales decipitur: nam qui causat id ex quo necessariò sequitur aliquis effectus, dicitur propriè idem causare.

RESPONDETUR. Si res sit de actu de quo Conclusionem tertiã, Negatur illo actu non locurum Deum, nec mentiturum. Si autem sit res de præcisa productione qualitatis erroris; illa productio, ut dictum, non repugnat Deo, titulo veridicitatis, sed aliis, de quibus supra. Quod autem dicitur errorem non esse malum moraliter; si ly moraliter supponat pro ly peccaminosum vera est propositio: si autem per malum moraliter, intelligatur, quodcunque dissonum naturæ intellectuali quæ tali, quæ dissonantia appellatur moralitas objectiva, Nego in hoc sensu, errorem, non esse malum moraliter. Quamvis autem Deus causet errorem in homine per causas necessarias, non probatur, quod per se, eundem causare possit: quia causando illum cum aliis principiiis, faceret ut causa universalis: per se autem illum infundendo, faceret ut causa particularis. Jam autem multa non potest Deus facere ut causa particularis, quæ facit cum aliis: ut comproducendo actionem peccaminosam, actum vitalem &c. Et qui causat id, ex quo necessariò sequitur aliquis effectus, tunc propriè dicitur esse causa illius, quando illam causam producit ex intentione effectus, quantum est ex se, & quando illa causa habet se per modum instrumenti: ut cum ex mandato sit occisio, & cetera similia: non tribuetur autem producenti causam effectus, si sine hac intentione, producat causa. Et ita non est causa occisionis innocentis, qui conficit tormentum: nam agens intellectuale, ut illi tribuatur aliquid tanquam causæ particulari, debet agere tanquam agens intellectuale; adeoque ex intentione finis. Jam autem Deus non intendit errorem, nec causæ, sunt instrumenta Dei, ut erret creatura.

Objicit Secundò. Idem DEUS potest conferre appetitum sensitivum, licet ille per causas naturales excitet concupiscentias illicitas. Ergo & habitum erroris infundere poterit.

RESPONDETUR. Negando consequentiam: quia appetitum sensitivum infundit DEUS ad exigentiam naturæ animalis; consequenter non est adhuc illius causa particularis. Jam

autem habitum erroris DEUS per se causans, ad nullius creaturæ exigentiam illum produceret; consequenter esset illius causa particularis, & quidem tanquam alicujus dissoni naturæ intellectuali. Rursus in casu Antecedentis non committitur quidquam per se dedecens naturam intellectualem ei que dissonum: quia primò & per se ordinatur appetitus sensitivus ad bonum sensibile delectabile; quod non est malum per se, nec dicit vel malum animalis vel malum naturæ intellectualis, ad quam quæ talem, nullo modo spectat. Jam autem infundendo errorem; infunderet aliquid per se malum, quia per se dissonum naturæ intellectuali, quæ sola, posito errore, malè habet.

INSTARI potest Primò. Errorem esse decentem objectivè & materialiter, non autem indecentiã morali; potest autem Deus velle indecentiam materialiter, quando hîc & nunc, non habet malitiam moralem, ut constat in eo, qui ob ignorantiam comedit die jejunii.

RESPONDETUR. Ut aliquid DEUS tanquam causa specialis producere non possit, sufficit quod sit objectivè malum. Sic Deus non potest producere prædeterminationem necessitantem ad peccatum, quamvis tunc prædeterminatus non peccaret, errorque ille non foret moraliter malus, hoc est peccaminosus creaturæ: esset tamen moraliter malus, hoc est participans de moralitate objectiva mali, quam dicimus esse dissonantiam. Quanquam ex dictis, Deo producenti errorem, esset ille error malus moraliter, faceretque DEUM peccare.

INSTARI potest secundò. Si DEUS non posset esse causa particularis erroris, nec poterit esse monstri, vel cæci; cum non minus sit contra intentionem naturæ, uno oculo carere, quam si monoculi non nisi nascerentur.

RESPONDETUR. Concedere aliquos non posse esse DEUM causam particularem monstri. Per nos disparitas sit. Cum monstrum vel esse monoculum, non habeat specialem dissonantiam ad naturam intellectualem quæ talem, fundatque rationabile Dei dominum de membris creaturarum & habitudine, extendere se poterit ad hæc omnipotentia Dei. Jam autem error, habet specialem dissonantiam ad naturam intellectualem, quæ talem, ad quam quæ talem non spectat vel claudum vel monoculum: & insuper non fundat majus rationabile Dei dominum super creaturam, sicut non fundat, si determinet ad peccatum.

INSTARI potest tertiò. Quod non inveniatur quoad hoc differentia, quando DEUS ut causa particularis quidquam facit, ac quando per causas necessarias, (quas ipse cum illa determinata virtute facit) idem producit: Nam sicut non magis DEUS debet verum dicere, quando per se ipsum immediatè loquitur, quam si per alios loquatur, quos ad loquendum deputavit: ita

non

non minùs tribueretur Deo effectus, qui sequitur necessariò ex causis secundis à Deo factis, quàm qui à Deo solo immediatè fierent.

RESPONDETUR. Quæcunque, est differentia cur DEUS seipso actum peccaminosum producere non possit, quamvis illum cum creatura producat concurrente: eadem differentia est, cur errorem per se producere non possit, possit comproducere. Ad eum modum, quo, pes rectus, non potest per se producere claudicationem, potest cum pede curvo. In quibus omnibus hæc est differentia, quia scilicet, si aliquis faciat non nisi ex determinatione causæ defectibilis, non tribueretur indefectibili effectus; præcipuè si se habeat per modum causæ universalis: secus si id faciat causa indefectibilis, sine determinatione à causa defectuosa. Produceret autem DEUS, illam qualitatem, sine ulla determinatione à creatura. Rursus non satis explicat hæc objectio, quomodo DEUS cum determinata virtute, producat causas, per se ipsum non nisi ad cauandum errorem determinatas: Nam hanc determinationem, nec intellectus habet; nec evidentia sensuum; quæ licet fallat interdum; non est causa per se producta à Deo, sed ad exigentiam causarum secundarum, & insuper non est determinata ad errorem; cum saltem in prima apprehensione, possit deservire ad veritatem. Prima enim apprehensio, ut dictum aliàs non potest esse falsa. Prima Paritas allata non tenet, quia illa falsitas quam DEUS mediante alio narraret, tribueretur Deo, tanquam causæ principali. Casu autem quo non nisi mediis causis secundis producat errorem, non tribueretur Deo error, tanquam causæ principali, sed tanquam causæ universali.

OBJICIT Tertiò Pontius, quod etiam attingit Lugo. Ille error, si non posset produci, quia haberet aliquam imperfectionem physicam aut moralem. Neutrum horum suadet. Non haberet imperfectionem physicam impediendam Deum à sui productione: quia DEUS multa physicè imperfecta potest producere; nec etiam moralem: quia in tali errore, non est imperfectio moralis peccaminosa.

RESPONSUM. In errore esse imperfectionem physicam non quâ qualem: sed cum titulo dissonantiae, ad naturam intellectualem quâ talem; ita autem imperfectum, nego à DEO posse per se produci: est etiam illic imperfectio moralis, jam explicata.

OBJICIT Quartò Ripalda num. 38. Deus est causa principalis illius actûs, in quem confert per se auxilium supernaturale: quia auxilium supernaturale, est specialis concursus Dei, & eo constituitur Deus causa specialis actûs moralis boni; at in actum erroneum confert per se auxilium supernaturale Deus, ut ostenditur in exemplo prudentiæ infusæ, studiositatis supernaturalis, piæ affectionis, imperantis assensum revela-

tioni apparenti, necnon præmissæ supernaturalis concurrentis ad Conclusionem falsam.

RESPONDETUR. Confundi in hoc argumento duas formalitates; formalitatem causæ principalis, & formalitatem causæ specialis, cum inclinatione ex propria determinatione agentis. Sed quidquid sit de hoc: Negatur Minor. Negatur item prudentiam infusam, virtutem Studiositatis, dictamque voluntatem committere errorem aut aliquid dissonum naturæ intellectuali quâ tali, neque enim est illi dissonum operari prudenter, de quo supra, ubi de putatæ revelato. Ad illam instantiam de Præmissa suppono ex Philosophicis, quod illa physicè non producat Conclusionem; & quamvis physicè illam produceret, non esset Deus causa specialis erroris: quia illum concursum exhiberet, ad exigentiam causarum secundarum, & non cum inclinatione.

INSTAT Primò. Cognitio referens objectum contingens, est falsa ab existentia vel carentia objecti. Deus autem est causa per se entitatis cognitionis, & simul existentiae, aut carentiae objecti. Ergo est causa per se cognitionis falsa.

RESPONDETUR. Quando Deus aufert objectum, cujus ablatione, redditur cognitio falsa; non facit id intentione ut contingat error; sed ex aliis principiis à dominio suo in res creatas petitis, licet per accidens respectu Dei, ad illam subtractionem concursus, pro conservanda existentia objecti, sequatur error.

INSTAT Secundò. Cognitio ita est falsa, ut secundum se potuerit esse vera, terminans eandem causalitatem Dei: Sed quando est vera ab existentia objecti, Deus est causa per se cognitionis. Ergo, etiam quando est falsa: siquidem utroque eventu, terminat eandem causalitatem DEI.

RESPONDETUR. Utroque eventu intervenire eandem causalitatem Dei, sed non eodem modo & intentione applicatam: verum enim intendit Deus, non intendit quantum ex illo, falsum.

INSTAT Tertiò. Judicium intuitivum, potest divinitus existere, non existente objecto: sicut potest existere apprehensio sensitiva; sed concursus miraculosus quem Deus præstat in tale iudicium falsum, constituit Deum causam specialem ipsius. Ergo Deus potest esse causa specialis iudicii falsi; imò illud iudicium potest conferre, per se, in affectus salutes moraliter bonos; & interdum efficacia auxiliorum, complectitur similes errores. Unde dicit Valquez, interdum errorem intellectus, esse gratiam per Christum.

RESPONDETUR. Casu quo Deus exhiberet concursum ad iudicium intuitivum absente objecto, exhiberet illud vel ad exigentiam causarum secundarum; ut si appareat, & non sit objectum:

R. P.
THE M L O L
Z I A N O W S K I
T o m . d e . Z
D . V I

atum: vel exhiberet illum, non ex intentione erroris; sed ex dominio suarum actionum, liberoque suo concursu: licet ad hoc consequatur per accidens error: qui non erit quidem per accidens ipsi cognitioni, vel causae erroris, erit per accidens illi dispositioni divinae, de suis concursibus. Error etiam causatus ad exigentiam causarum secundarum, potest esse ex gratia per Christum, non tamen error per se intentus à DEO.

OBJICIT Quintò Rozmer. Licet DEUS sit essentialiter omniscientia; tamen potest esse causa per se ignorantiae: quid enim impedit quominus auferat homini omnes species & habitus scientificos, quibus ablati homo redderetur ignorans. Licet item sit summa laetitia, potest esse causa tristitiae; & licet sit essentialiter vita, potest esse causa per se mortis. Ergò etiam licet sit essentialiter veritas, potest esse causa per se erroris.

RESPONDETUR. Quod attinet ad ignorantiam; posse aliquem dicere, quòd ignorantiae possit esse DEUS causa per se: quia illa quae talis, non est quid dissonum naturae intellectuali, quae tali: multa enim titulo hoc quia homines sumus, ignorare tenemur; & tamen huius quod homines sumus, est Deus per se causa. Conformer tamen ad supra dicta dici potest, auferente Deo illas species, non fore Deum causam per se ignorantiae, auferit enim ex alio titulo honesto, dominium suum concernente, licet postea subsequatur ignorantia. Tristitia etiam & Mors, possunt per se causari à Deo, quia non sunt quid dissonum, naturae intellectuali quae tali.

INSTAT idem. Deus potest specialiter concurrere ad deceptionem, quae unus homo alterum decipiat. Ergò etiam poterit concurrere specialiter etiam ad errorem.

RESPONDETUR. Disparitatem esse quia in casu antecedentis, ageret Deus ad exigentiam causae secundae, volentis decipere; non ageret autem ita, in casu consequentis. Immeritò etiam supponitur, quòd deceptio illa quae aliquis decipitur, quòd hodie sit festum, & audiat sacrum, quòd inquam illa deceptio, sit meritoria: non enim illa deceptio, sed affectus audiendi sacrum, est meritorius. *Ex quibus*

COLLIGITUR. Deum non posse esse etiam causam specialem infusionis habitus vitiosi, quem debeat vincere creatura.

Punctum Difficultatis 3.

Potestne Deus amphibologicè loqui?

LAtè de hoc tractat Koninck pluresque citat. disp. 10. dub. 3. & Lugo disp. 6. Sect. 5. Praejaciendum erit, an amphibologia sit licita? si enim sit illicita, impossibilis erit Deo, si licita; advertendum, an Deum dedecet: *hoc ut fiat.*

SUPPONO Primò. Duplicem esse amphibologiam. *Primam* quae committitur ratione verborum integrè prolatorum. *Secundam* quae committitur ratione verborum, non integrè prolatorum. Prior dupliciter committi potest, vel usurpando verba ambigua, ut Ajo te Aëacida Romanos vincere posse: vel usurpando voces in sensu ratori, ut cum dico: Praesens Pontifex est Petrus, intellige officio, non nomine.

SUPPONO Secundò. Quod sit objectum seu finis amphibologiae? Si enim sit finis ejusdem, aliter dicere, quàm sit in mente: verè finis illius erit idem qui mendacii, quia etiam mendacii finis est, aliter dicere, quàm sit in mente; quod si eundem finem habent mendacium & amphibologia, utrumque erit ratione finis vel ex objecto illicitum; quis ergo erit alius amphibologiae finis? Ratio dubitandi est, voluntas efficaciter duo oppositissima & contradictoria, simul, velle non potest, non potest autem ostendi, quomodo in amphibologia duo opposita nolit voluntas; quia velle manifestare mentem, & velle non manifestare mentem, sunt duo oppositissima; utrumque autem hoc vult voluntas amphibologifandi. Vult enim efficaciter loquendo non mentiri; adeoque loquendo manifestare mentem. Si enim mentiri, est loquendo non manifestare mentem: non mentiri erit loquendo manifestare mentem. Ex altera parte etiam vult non manifestare mentem, idque efficaciter; quia ad hunc implendum finem, quaerit verba occultantia mentem. Uthæc ratio solvatur, expliceturque amphibologiae finis & objectum.

SUPPONO Tertiò. Quòd hi duo actus distincti sint. Vellem loquendo non manifestare mentem meam: & Nolo loquendo manifestare mentem meam. Prior est conditionatus, & applicabilis in circumstantiis, etiam inefficaci voluntati: alius autem, ex modo etiam significandi, est efficax, absolutus, & determinatam voluntatem indicat. Posterior ille actus involvit semper mendacium: prior autem actus, non involvit mendacium, conjungiturque amphibologiae. Ratio, quia ex una parte non vult absolute occultare mentem suam: si enim id vellet, uteretur potius mendaciis, quàm amphibologiâ. Ex altera parte optaret, non manifestare illam, hinc fit ut claris verbis non utatur. Porro sub illo actu conditionatè expresse: Vellem non manifestare clarè mentem meam, potest subintelligi & debet, hic alius actus, Nolo simpliciter occultare mentem meâ. Quod possit cum illo actu stare hic alius. Ratio. Quia cum actu conditionato, potest stare oppositus actus absolutus, ut si dicas vellem comedere carnes ferrià sextâ, si non prohiberet Ecclesia; nolò tamen comedere quia prohibet. Ergo etiam sub illo actu conditionato vellem non manifestare clarè mentem meam potest stare hic alius;

(k)

Nolo,

Nolo, simpliciter occultare mentem meam. Quod autem debeat sub illo conditionato & oprativo actu, involvi ille absolutus; nolo occultare absolute mentem meam; Ratio est, quia nisi hic actus habeatur, omnino sub amphibologia latebit mendacium; & à posteriori colligitur: quia prædicti actus absoluti, habetur effectus, nempe questio verborum amphibologicorum, & rejectio verborum mendacii. Propter hunc actum, illi conditionato annexum, salvatur, quomodo in amphibologia non committatur mendacium: est enim illic exclusio, (ut reflexio ostendit) mendacii: salvatur item, quomodo illic non velit contradictoria voluntas: quia contradictoria vera, debent esse ejusdem, de eodem, propter idem, & eodem modo; non eodem autem modo voluntas vult manifestare mentem: hoc enim vult non nisi actu oprativo: hoc autem, quod est non occultare absolute mentem, vult actu absoluto. Unde ulterius objectum amphibologiae non debet exprimi positivè, volo manifestare mentem meam: non enim amphibologians quereretur terminos amphibologicos; sed debet exprimi negativè, Nolo simpliciter occultare mentem meam. *Ex his jam suppositis*

Explicatur Finis & Objectum amphibologiae. Nempe quod veller eam utens non manifestare mentem suam; quantumvis nolit illam simpliciter occultare. Quæ explicatio vel ipsa praxi amphibologias usurpantium probatur; qui nec volunt simpliciter mentiri, & simul nolunt simpliciter occultare mentem suam, eique contravenire.

SUPPONO Quartò. Amphibologiam quæ verbis integrè prolatis committitur, esse cum ratione licitam. Ratio quia in illa non committitur mendacium; & non intelligens illa verba, suæ ignavia & insolentia id imputare debet; nec est dissonum naturæ intellectuâli altiori modo operari, quàm possint attingere ordinariæ capacitates. Dixi cum ratione; quia provisa est à natura locutio, ut manifestet mentem, accommodetque se audienti; si cætera sint paria. Unde nec consonari quisquam debet græcè, si auditor, non intelligat græcè.

SUPPONO Quintò. An amphibologia sit licita, quæ sit ratione verborum non integrè prolatorum, quam appellat Oviedo Contr. 3. num. 40. intereticentiam; dubitant Authores. Ponunt illam licitam Valentia, Lessius, Toletus Sanchez, illicitam Lugo, Soto, Cajetanus, Azor Ripalda dis. 4. num. 68.

SUPPONO Sextò. Intereticentiam interdum esse talem, ut non componat cum verbis externis orationem integram. Ratio, quia aliàs nunquàm diceretur mendacium. Nam si quis diceret non est ita, non mentiretur, subintelligendo, ut tibi dicam. Interdum etiam componit eandem orationem cum verbis externis; datur

enim figura quæ appellatur Apophorepsis quæ reticentia est, quæ sententiæ inchoatæ cursus, revocatur, ut inde pars ejus aliqua non dicta intelligatur; hocque etiam habet illa oratio Vergilii. Sed motus præstat componere fluctus, in quibus aliqua sunt quæ exprimuntur, & tamen non committitur mendacium; estque illic conjunctio verborum externorum cum internis. Quod etiam fit dum prudens Auditor colligit ex verbis prolatis, alia internè tacet. Imò hoc videtur fecisse aliquoties Christus, ut cum dicebat, quod de hora judicii nequidem filius hominis sciret, supple, scientiâ communicabili. Seipsum item non ascensurum ad diem hunc festum, & tamen ascendit; intèdò remendo, non ascendam manifestè; sed in occultò.

SUPPONO Septimò. Ut colligatur, quando potest oratio interna, componere eandem cum externa; advertendum erit easdem voces materialiter acceptas, ratione variarum circumstantiarum alium sensum, licet non obviè facere; ita ut ipsæ circumstantiæ sint æquivalenter signum locutionis internæ; ut cum circumstantiæ ostendunt verbum *Est* lumi pro edit; & verbum absolvo, vel pro solutione corporis, vel pro solutione peccatorum, vel offensæ intelligi. Hinc consequenter tunc oratio interna cum externa potest componere unam orationem, & mendacio eximere verba dicentis, quando circumstantiæ æquivalent signo & locutioni, quamvis illæ circumstantiæ, non sint voces obviæ & passim penetratæ: quam sententiam video etiam docuisse Oviedo, Contr. 3. num. 44.

ADDO. Quod commodius dicatur circumstantiis quasi vocibus æquivalentibus mentem dicentis internam explicari; atque per hoc vitari mendacium: quàm si dicas, ex eo vitari mendacium quia prudens colligit alium sensum, sub verbis latere. Ratio. Quia prudentia audientis, nullo modo ingreditur locutionem, quomodo ergo illam eximet à mendacio? Cumque mendacium teneat se à parte loquentis; etiam id quod facit ne sit mendacium, debet aliquid esse, tenens se à parte loquentis. *His suppositis,*

DICENDUM est. *Posse Deum loqui amphibologicè etiam per intereticentiam, modo explicat.* Probat. Quia DEUS mentem suam omni illo modo exprimere potest, qui illicitus non est, aut inde decens naturam intellectualem, quæ talem: est enim infinitus in locutiva, adeoque omnes in ea perfectiones continens. Sed amphibologia & intereticentia explicata, non est illicita. Ergo eam DEUS usurpare poterit.

OBJECIT Primò Koninck. Illa intereticentia non habet ullum sensum vel significationem veram. Ergo est mendacium illicitum. Antecedens probatur. Quia ut duæ locutiones unam integram componant, debet esse inter eas aliqua connexio, vel tanquàm inter signum & signi-

R. P.
THE MLOL
ZIANOWSKI
Tom de Z
D. VI

& significatum, vel tanquam inter duas orationis partes, quæ tractim inter se junguntur; in præfenti autem nihil horum est, nec est unio inter illam locutionem externam & intereticentiam.

RESPONDETUR. Circumstantias externas, esse signum æquivalenter, licet non formaliter internæ locutionis, & per hoc signum æquivalens, uniri & explicari locutionem internam seu intereticentiam.

OBJICITUR Secundò ex Lugò. Veracitas obligat quidem ad conformanda verba menti, sed non ad conformandam mentem cum mente; debemus ergo comparare verba ipsa cum mente, & videre ex una parte voces externas, cum sua significatione; ex alia mentem loquentis, & considerare, an verba exprimant id, quod est in mente; quomodo autem exprimunt si ponitur intereticentia?

RESPONDETUR. Illa verba si sumantur in circumstantiis, in quibus plura significant, quam dicunt, exprimere mentem loquentis.

OBJICITUR Tertiò. Tota obligatio veracitatis, est, ad conservandam vitam humanam & commercium politicum; quod æquè nutaret, si licita esset intereticentia.

RESPONDETUR. Ita ad convictum politicum attendendum est, & cum salvandum, ut fervetur jus secreti, quod facile extorqueri posset, si illicita foret intereticentia; nemoque tenetur abstinere ut plus significet quam dicatur, quantumvis ex ignavia, aliquis non penetret; ita etiam in præfenti, ingerebantur ipsis circumstantiis ad notitiam, quod ingererent verba, si ponerentur.

OBJICITUR Quartò Ripalda. Eiusmodi locutiones quæ sunt cum intereticentia sunt mendacium: locutio enim constituitur significatione externa verborum.

RESPONDETUR. Locutionem formalem humanam, constitui locutione externâ, sed non locutionem æquivalenter, quæ pendere potest à circumstantiis, ut cum plus significamus quam dicimus.

OBJICITUR Quintò. Possemus dubitare de fide, an non DEUS aliquid reticuerit in revelatis.

RESPONDETUR. Quod non. Ratio quia pænes Ecclesiam est infallibilis assistentia Spiritus Sancti, explicativa circumstantiarum revelationis, si forte quæ essent æquivalens locutio; præcipue autem: quia in explicandis altioribus theoriis præceptionibusque morum, dissonum esset naturæ intellectuali, intereticentias frequentare; ex quo titulo obligatus est DEUS, illis abstinere in rebus fidei.

INSTABIS. Licet DEO amphibologia. Ergò & mendacium.

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Quia in amphibologia nulla est dissonantia

ad naturam intellectualem secus in mendacio.

DIFFICULTAS III.

An cognitio supernaturalis omnis, sit nonnisi essentialiter vera?

Ripalda de ente supernaturali ponit disp. 58.

An Cognitio supernaturalis possit esse falsa ex natura rei? & 59. An saltem potestate DEI absolutâ? Priorem thesim negat; de posteriori iudicium suspendit, ad quas etiam disputationes, remittit se hic disp. 10. Sect. 1.

DICENDUM est. *Possibilem esse cognitionem supernaturalem, & tamen nonnisi probabilem.*

PROBATUR Primò. Quia nulla implicantiâ.

PROBATUR Secundò. Possibilis est actus prudentiæ supernaturalis. Ergo & iudicium supernaturale probabile; nam etiam iudicium prudentiale, movetur rationibus probabilibus.

PROBATUR Tertiò. Opinari probabiliter, non est ratio dissona naturæ intellectuali creatæ, quamvis non sit perfectio naturæ ut sic intellectualis. Ergo non est ratio, cur illi elevativum supernaturale accedere non possit. *Aptatur in contra argumenta Ripalda.*

OBJICITUR Primò. Supernaturalitas sicut naturam cognitionis evehit supra naturam cognitionis naturalis, ita ejus proprietates celsiores arguit: prima autem eaque potissima perfectio cognitionis, est veritas, & ad præfens certitudo.

RESPONDETUR. Quod supernaturalitas evehat cognitionem naturalem, ratione ordinis non in gradu entis & perfectionis; hinc accedens supernaturale, est perfectius substantiâ naturali, ratione ordinis, non ratione gradus entis. Consequenter & probabilitas, erit perfectior ordine, præ certitudine naturali, licet non perfectione & gradu noscendi.

OBJICITUR Secundò. Ex conceptu virtutis intellectualis, quæ ex Aristotele verum attingit. Unde etiam opinionem negat esse virtutem; omnis autem cognitio supernaturalis, est actus virtutis supernaturalis.

RESPONDETUR. Negando hoc sensu omnem cognitionem supernaturalem esse actum virtutis. Cur enim implicet opinio supernaturalis?

OBJICITUR Tertiò. Nihil est quod deturbet cognitionem supernaturalem à ratione certissimâ, si eam non deturbat in fide, ratio obscuri.

RESPONDETUR. Debilitatem motivorum, & concursum ab utraque parte pugnantium rationum, restringere cognitionem supernaturalem, ad formalitatem opinionis.

(k) 2

Objic